

861.
420

PROBLEMATATA ALIQUOT
PHILOSOPHICA CONTROVERSA,

QUAE

*Deo Ter Opt. Max. sospitante
pro licentiâ Collegia aperiendi,*

Publicè examinanda proponit in Illustri MARBURGO
in Auditorio Philosophico, ad diem XIX. Octo-
bris, horâ matutinâ VII.

M. JOH. CONRADUS
DANNHAWER, KUN-
DRINGA-BRISGOJUS, P. L.

Cæs. & SS. Theol. Stud.

RESPONDENTE

SAMUELE HEPPIO
ARGENTINENSI.

Aristot. l. I. de part. an. c. 5.

*Ἡ δημιουργία φυσικῶν μηχανῶν ἡδονὰς παρέχει τοῖς δυναμένοις
τὰς αἰτίας γνωρίζειν, καὶ φύσει φιλοσόφοις.*



MARPURGI CATTORUM

Ex Officina Typographica Johannis Saurij,

ANNO M. DC. XXV.

T.M.d. 166





VIRIS EXCELLENTISSIMIS ET
Clarissimis:

Dn. M. CASPARO BRÜLOVIO P.L.C. in Illustri
Argentinensium Academia Poëseus Professori celeberrimo,
& Gymnasiarchæ dignissimo.

Dn. M. JOHANNI PAULO CRUSIO, P.L.C.
& primæ Classis Moderatori fidelissimo,

Dn. suis Patronis, & Preceptoribus gratiosissimis.

UT ET

LITERATISSIMO VSVQ; RERVM PRAE-
stantissimo viro,

Dn. ANDREÆ KAUFFMANNO, Notario Imp.
Aut. Cæs. civiq; Argentinensi primario.

NEC NON


HONORATISSIMIS ET SPECTATIS-
simis viris,

Dn. BALTHASARI Wildenmeyer/ } Civibus Republicæ
Dn. JOHANNI GEORGIO Beckerlin/ } Argentinensis.

*Dn. Fautoribus & cognato hæc Problemata Philoso-
phica in gratitudinis & observantia debite mo-
nimentum*

D. D. D.

SAMUEL HEPP RESPONDENS.





PROBLEMA PRIMUM

Prooemiale.



N Philosophia sit contraria Theologia, & proinde in scholis Christianorum negligenda? Si sermo sit de Philosophiâ purâ, non æquivocâ appositione contaminata, Nego. *ἐναντία γὰρ ἐστὶ δόξα δόξει ἢ τῆς αἰληφάσεως, l. γ: Metaph. c. 3. t. 9.* Veritas una alteram superat, non labefat.

Illa (*Theologia*) Sara, hæc (*Philosophia*) Agar: hæc illam non ridere, illa hanc ut imparem non aspernari debet. Neque sunt cum Democrito oculi eruendi, quia mente majora videmus.

PROBLEMATA LOGICA.

I. *A* *N* Logica propriè dictum genus sit Ars? Aff. Idq; patet
1. ex artis definitione. 2. Objecti operabilis conditione. 3. Finis legitimi accommodatione. 4. Modo procedendi, qui Canonicus est & regularis. Confer Clariss. Dn D. Rixingerum, Præceptorem meum jugiter honorandum, disput. 1. Log. thes. 8. & 9.

2. Res Logicæ Objecta, rectiùsne subjectum quàm objectum dicatur? Malim ego objectum appellare.

3. *An Ens sit genus substantia quantitatis. &c?* N.

4. *An Deus sit in prædicamento substantia?* N.

5. Propositionē singularem in mixturâ diversæ quantitatis, quorsum rectiùs reduxeris? ad Universalem.

A 2

6. Hæc



6. Hæc propositio : Necessè est quosdam homines salvari, sitné Universalis vel Particularis ? Neutra.

7. Definitio Syllogismi Aristotelica sitné proba? Quidni?

8. Hic Syllogismus : | Omne rationale vivit.

Solus homo est rationalis, E.

Solus homo vivit. In quo peccet?

Quidam dicunt, minorem esse virtute negantem; non repugno. Sed quæram aliam solutionem in *lib. 1. prior. anal. c. 38.*

9. De vulgari hoc syllogismo quid statuendum,

Q. Non credunt, non salvantur.

Judæi non credunt, E.

Judæi non salvantur.

Resp. Minorem esse negativam *δοξασμῶς*, quia 1. negatio non est extrinsecus assumpta. 2. Est ex majori resumpta.

10. Adjungendane reliquis sit quarta figura? Neg.

11. Rectene concludant nostrates pro Spiritus sancti divinitate

Ananias mentitus est Deo.

Ananias mentitus est Sp. S. E.

Spiritus sanctus est Deus ? Rectissime. Est enim major implicitè exclusiva.

12. Demonstrationis doctrina sitné somnium commentitium, monstrosus commentum, portentosa *κακοτεχνία*, Aristotelis nomine multa & celebris, re verò nulla immò imaginaria, fumus evanescens, ut calumniantur ii, qui sexagenarium Aristotelem è ponte dejicere conantur? Tantùm abest, ut eam potius nobilissimam Logicæ partem dicam, quâ sine illa mutila est.

13. Simpliciterne adhorrendum sit à terminis Metaphysicis, qui injuriosi videntur esse in Manes Ciceronis? non existimo.

14. Num stare utrumq; possit axioma; Contrariorum est

est eadem ratio, & contrariorum est contraria ratio? Conci-
liabimus.

15. Causa Causæ est etiam causa causati, possitne hoc
axioma sano sensu recipi? Omnino.

16. A majori ad minus quomodo liceat argumentari?
Tantum negativè, non affirmativè.

17. A minori ad majus quomodo? Contrario modo.

18. An omnis sopheristicus syllogismus sit falsus? N.

PROBLEMATATA THEORETICA.

1. **A**N materia prima appetat formam? Aff.

2. Quæ sit causa motus illorum corporum,
quæ contra propriam inclinationem moventur ad replendum
vacuum? Non invenio aliam nisi virtutem, in quovis corpore,
attractivam sequentis.

3. Ignei caloris causa num sit cœlum circumvolvens,
ut vult Zabarella? Non puto.

4. An Sol sit calidus? Neg.

5. Rectene nutritio in occultam & manifestam di-
stinguatur? Omnino, sic enim multis dubiis obviam itur. De
occultâ illâ vide *Aristot. l. 8. de hist. anim. cap. 17. de Vrsâ. Mar-
tialem de glire. Zanardum de hom. q. 59. de Julio Viatore equite
Romano.*

6. An vivens, in quo partes corporis successivè dila-
buntur, nihilominus maneat idem numero? Aff. vide *Scalig.
exerc. 51.*

7. An Elementa sint refractis formis in mixto? Non
puto.

8. Verumne sit illud Poëtæ:

Vrebant montana nives —————? Aff.

9. An elementa gravitent vel levitent in propriis lo-
cis?

A 3

cis?

cis? Negativam tenet Philolophus l. 1. de cœl. cap. 9. t. 100. &
alibi.

10. An cœlum sit corpus grave aut leve? Neutrum?
neque enim cœlum fingo Homericum, quod Atlantis fulci-
mento opus habeat: aut de quo metuam, ne ruat deorsum
cum Germanis Taciti: aut quod Empedoclis commento non
minus cadat, quàm aqua in vase velociter circumgyrato.

11. Cœli color sapphyrinus sitné illi germanus? Non
arbitror.

12. An cœlum sit tactile? Negatur stantibus hypothe-
sibus Aristotelicis.

13. Subsitné causa Physica, quando ex profluvio san-
guinis interfecti homicida arguitur? Nulla occurrit.

14. An κοινὰ ἐννοιαὶ sint foris acquisitæ ab objecto, ita
ut intellectus sit in totum tabula rasa, num verò subjectivè in-
sint in intellectu? Posterius defensitârim.


15. An anima rationalis propagetur translatione? O-
mninò.

16. Metaphysicæ, num propriè dictum genus sit sci-
entia? Prorsus.

17. Principium individuationis constitutum intrin-
secè substantiæ materialis sitné parens, num causa prima, num
accidentia μεριστικὰ Porphyriana, num existentia Zabarel-
liana, num Hæcceitas Scoti *ἁεττις*, num materia signata Tho-
mistica? Nihil horum. Quid ergo? Dicam.

18. Quo sensu accipiendum illud Scaligeri exerc. 268.
Essentia omnis impartibilis? Evolvemus.

19. Quomodo mensura indivisibilis, minimum quid,
homogenea dicatur? ostendemus.



PRO-

PROBLEMATTA PRACTICA.

1. **S**ummum hominis bonum sitné aliud quid, quàm virtutis actio? Nihil aliud; huic enim ex asse competunt omnia summi boni πάθη, utpote, οἰκείον καὶ δυσσείφαίρετον, l.1. Eth. cap. 5. περιττὸν καὶ κλητὸν τῷ ἀνθρώπῳ, cap. 6. τέλειον, cap. 7. αὐτοαίρετὸν, ibid. αὐταρκες, ibid. ἡδιστὸν, cap. 8. θεϊκὸν, cap. 9. θῶν τι, ibid. πολύκαινον, ibid. μόνιμον καὶ μὴ δὲ μετὰ βολον, cap. 10. τίμιον, cap. 12.

2. Quænam sit forma virtutis ὀρθότης, num μεσότης? Dicam.

3. Liceátne in extremo necessitatis casu carne humana vesci? Plausibilior est affirmativa.

4. Possintné Martyres propriè & Aristotelicè dici fortes? Non putø.

5. Promereantúrne fortitudinis Encomium αὐτόχειρες illi, Cato, Q. Curtius, Lucretia? N.

6. Fueritné vinum ante Cataclysmum? Probabiliorrem judico affirmativam.

7. Sitné prodigus melior avaro, an hic illo? Ille hoc.

8. Possitné aliquis sine vulnere conscientia in Hispaniâ, Italiâ & aliis Tiberino Deastro addictis locis, externis gestibus, geniculationibus, &c. Pontificatus deliria imitari? N. contra personatos quosdam politicos.

9. Possitné aliquis mentiri, & simul verum dicere? Non est absurdum.

10. Saltationes & Choræ num licitæ? Aff.

11. Quomodo summum jus dicatur summa injuria? videbimus.

12. Pugnetné illud Aristotelis l. 8. Eth. cap. 2. ὅμοιον ὁμοίῳ εἶναι, cum illo Hesiodi:

καὶ



Καὶ κερταίς κερταῖς φρονέει καὶ τέκτονι τέκτων, &c.
Pugnant, nisi distinguas.


13. Quænam sit nobilissima Reipubl. forma? Monarchia.

14. Sitné Magistratus præstantior subditis? Quidni?

15. Præferendane in Principe calliditas stoliditati hæc illi? illa huic.

F I N I S.





B.I.G.

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Farbkarte #13

861.
420

ATA ALIQUOT
CA CONTROVERSA,

QUÆ

*Max. sospitante
Collegia aperiendi,*

ponit in Illustri M A R P U R G O
phico, ad diem XI X. Octo-
â matutinâ VII.

CONRADUS

AWER, KUN-

RISGOJUS, P. L.

S. Theol. Stud.

ONDENTE

LE HEPPIO

NTINENSI.

. de part. an. c. 5.

ἡδοναὶ παρέχει τοῖς δυναμένοις
φύσει φιλοσόφοις.



I CATTORUM

phica Johannis Saurij,

. DC. XXV.

1 Md 166

